

Lib. XIV. Tit. I.  
De Exercitoriâ Actione.

§. 1. Generalia de acquisitione obligationis per alios:

1. *Filiusfam.* iniens obligationem extra peculium, eam indistinctim acquirit patri.

*Ratione Peculii* verò, & quidem

1. *profecticii* initam pleno jure quærit Patri.

2. *adventitii ordinarii*, commodi usumfructum quærit Patri, sibi servat proprietatem.

3. *Castrensis*, & *adventitii extraord.* pleno jure sibi acquirit, nisi Patri nominatim hic stipuletur.

2. *Servus*, omnem obligationem Domino etiam invito & ignoranti acquirit.

3. *Libera persona extranea* Non acquirit nobis obligationem, vel actionem, nisi

1. per pactum contractui adjectum, ut res nobis (tertio) restituantur,

2. si pecuniam alius meo nomine credat, mihi acquiritur *Condictio* & *pignus*.

§. 2. In specie 1. *Procurator, Gestor*, etiam si Domino sit stipulatus, obligationem regulariter sibi acquirit, eamque post

*Domino cedit.*

Sæpè tamen absque cessione *Dominus utiliter agit*

1. Si *Procurator* sibi dari stipulatus sit *ex re Domini*.

2. Si *præsente Domino*, licet non *ex re illius*.

3. *Ex æquitate, & subsidiariè*, si res Domino aliter salva esse nequeat.

*Exceptionem* etiã doli habet ex pacto *Procuratoris*.

Sed traditam sibi apprehensamque rem nomine Domini Domino acquirit.

2. Qui navi, vel tabernæ, præficitur, obligat præficientem, unde *Actio Exercitoria, Institoria*, de quibus mox.

§. 3